

*De figuris lapidum, &c.*

Lycophthalmus.

thalmus, inquit, rutila aliâs, oculi specie candidam nigramq; cõtinet. Et mox sequenti capite: Lycophthalmos quatuor est colorum, ex rutilo & sanguineo in medio nigrũ candido cingitur, vt Luporum oculi, illis per omnia similis. Vnde apparet eandem esse gemmam, & præcedenti quoq; capite, Lycophthalmon, non Leucophthalmon legi oportere, deceptumq; Agricola qui humani oculi similitudinem ei tribuit. Triophthalmos verò Plinio dicta Ionace nascitur, & tres hominis simul oculos exprimit.

Triophthalmos.

Auriculæ similitudinem exprimunt lapides interdũ gemis similes, Agric.

Vidi ego lapidem generatum sub lingua cuiusdam viri, prohibentem ei locutionem, & eo remoto, redijt ei loquela, Abynzoar.

In pulmonibus quæstoris Albretici, lapides aliquot durissimos & æquabili superficie, argillaceo colore deprehendimus, Scaliger. Nuper ami-

CUS